

cal categories, popular or (pseudo-)philosophical, of Lucretius' own poem. The latter becomes, as it were, the acid-test of the former. To be reliable (in the sense of *K. Δ. XXIV*), our sensory perception of Lucretius' mythological passages, like that of nature and the gods, must be corrected by the "true" perception that physics and theology are in reality separate realms.

Cambridge, Mass.

Harald Reiche

---

## EURIPIDIS IN ANAXILAE FRAGMENTO FRAGMENTUM

In Athenaei *Δειπνοσοφισταῖς* cum alia Anaxilae<sup>1)</sup> comoediae mediae scriptoris fragmenta inveniuntur, tum longior ille monologus fabulae cuiusdam, quae ex meretricis Atheniensis nomine *Νεοττίς* nominatur (fr. 22 K)<sup>2)</sup>. quo in fragmento primum (vv. 1-7) monologi totius propositio, quae est comparatio scelerati meretricum generis atque fabularium monstrorum, verbis admodum concitatis catalogo talium prodigiorum uberrimo quasi prooemium datur, deinde (vv. 8 ss) confirmationis loco subsequitur meretricum Atheniensium plus minusve adhuc nobilium enumeratio, quarum suum cuique monstrum attribuitur, ut *Πλαγγόνι* Chimaera (vv. 8-11), quod mercatores peregrinos incendio inflamet, vel *Σινώπη* excetra Lernaea (vv. 12-14), quod ab hac meretrice iam vetula liberatus in alteram nomine *Γνάθαιναν* iuxta habitantem incurras, quae altero tanto peior sit illa. tertia enumerationis particula ab Athenaeo sophista his tribus versibus traditur:

15 ἡ δὲ Νάννιον τί νννι<sup>3)</sup> διαφέρειν Σκύλλης δοκεῖ;  
οὐ δὲ ἀποπνίξασ' εταίρους τὸν τρίτον θηρεύεται  
εἶτι λαβεῖν; ἀλλ' ἐξέπεσε πορθμῆς ἐλατίνῳ πλάτῃ.

1) de Anaxila cf. A. Meineke, *Historia critica comicorum Graecorum* (= FCG I), Berolini 1839, 406-409; RE I (1894) 2084 s.v. Anaxilas (Kaibel). Fragmenta ediderunt Meineke FCG III (Berolini 1840) 341 ss, Kock CAF II (Lipsiae 1884) 264 ss, Edmonds FAC II (Leiden 1959) 332 ss.

2) Ath. 13, 558a-e (III 230/31 ed. Kaibel); octo primos versus septimo excepto laudat etiam Eustathius (Od. 1714, 38-41), fortasse ex Athenaeo excerptos; cf. FCG III 347-50, CAF II 270/71, FAC II 340-343.

3) ννν Ath., νννι coniecit Jacobs, ννν δη Grotius (unde itacismo νννδιαφέρειν fieri potuit, inde etiam ἀπλογραφία lectio Athenaei).

Verborum sententia satis liquet: interrogatio indignationis plena, quae rhetorice ponitur affirmationis loco, confirmat *Nάννιον* illam haudquaquam differre a Scylla, quod monstrum ex Homeri *Odyssea* (12, 234 ss) notissimum iam inter praefationis exempla (v. 4) commemoratum est: *τρίκρονος Σκύλλα, ποντία κύων*<sup>4)</sup>. hinc cetera quoque percipias: comparatio meretricis monstrique probatur eius natura, quod duobus confectis sociis etiam tertium tertio capite capessere aveat; in his incertum est, utrum sociorum voce voluerit tantummodo *Odysseae εταίρους ἔξ* (12, 245 s) eorumque fortunam in memoriam reducere *Anaxilas* an ultro significare de rebus quibusdam ad vitam meretricis pertinentibus, quae nobis nunc obscurae sunt<sup>5)</sup>. clausula perbrevis eius particulae finem facit: „sed excidit linter abieгна palmula“ (v. 17).

Emendatione formae *ἔξέπεσε*, quae metro haud apta est, neglecta primum de toto versu (v. 17) subtilius agamus. constat alterius partis elegantem et grandem dictionem alienam esse ab illa solutiore comico ratione dicendi, qua usus non dubium est quin *Anaxilas* dicturus fuerit *ἀλλ' ἔσωσε ναῦς* (sc. *τὸν τρίτον*) aut tale quid; propterea mirum non est tria illa post diaeresin verba quae sunt *πορθμῖς ἐλατίνω πλάτη* alibi in sermone comico non reperiri<sup>6)</sup>: etenim maxime poeticum sonant. accedit, ut, si ratione metrica versum examinaveris, perspicuum sit tetrametri partem primam ita incidi<sup>7)</sup>, ut id quod restat post caesuram sit trimeter iambicus, tetrametri vicissim diaeresis etiam trimetri caesura quae *πενθήμεμερής* dicitur. quod quidem indicium, ut per se nullius momenti est, ita aliqua auctoritate fieri potest, si verborum colorem respexeris: nam conici potest illam tetrametri post caesuram partem ex alieno opere sumptam esse atque mira arte intextam huic loco, qui, quod saepius locis fabularium nominum refertis fieri solet<sup>8)</sup>, comoediae severam sororem oleat: tragoe-diam dico.

In quaerendo, utrum *Anaxilas* ipse an tragicorum aliquis

4) cf. adnotationem 25 et vv. 29/30.

5) exempli causa adferas superiorum versuum (10/11) ambiguitatem: *ἰππεύς τις αὐτῆς τὸν βίον παρείλετο* pertinet ad *Bellerophonem*, qui *Pegasi* eques *Chimerae* vitam ademit et, ut versus subsequens (11) docet, ad equitem *Atheniensem*, qui *κτῆματα αὐτῆς* ademit.

6) cf. FCG V 359 s. v. *ἐλάτινος*, 844 s. v. *πλάτη*, 874 s. v. *πορθμῖς*.

7) sc. post tertium semipedem, quam incisionem in tetrametro trochaico haud raram esse docet D. Korzeniewski, *Griechische Metrik*, Darmstadt 1968, 65/66.

8) exempla sunt *Men.* 148, 765; *Sam.* 495 s; *Ter. Eun.* 590.

illius trimetri auctor fuerit, unumquodque verbum diligentius tractemus: perspicuum est vocabulum *πορθμίς*, ita ut navem significet, non in heroum carminibus neque in comoedia, non apud Aeschylum aut Sophoclem neque usquam alibi legi excepto tragici incerti fragmento<sup>9)</sup> nisi quater apud Euripidem<sup>10)</sup>, adiectivum autem *ελάτινον* sive *εϊλάτινον* quinque apud Homerum, postea vero non in comoedia, non in Aeschylō aut Sophocle aut reliqua tragoedia, at septies apud Euripidem<sup>11)</sup>, quibus ex locis sunt gravissimi IT 407 ss (lyr.) ἦ ῥοθίοις εϊλατίνας διζρότοισι κώπας ἐπλευσαν ἐπὶ πόντια κύματα, Hel. 1461 (lyr.) λάβετε δ' εϊλατίνας πλάτας, Hyps. col. III, 1, 13 (lyr.) εϊλατίνας ἀνάπανμα πλάτας. nomen *πλάτη* denique non in heroum carminibus aut tragicorum minorum fragmentis reperiri potest, atqui bis apud Aeschylum<sup>12)</sup>, apud Sophoclem quinque<sup>13)</sup>, sed in Euripidis fabulis bis et tricies<sup>14)</sup>. qua in re non tam numerus quamvis ipse non neglegendus quam argumenta quaedam graviora deliberatione digna sunt: est enim vox plerumque in versus fine pro clausula, non magis in lyricis<sup>15)</sup> quam in trimetris iambicis<sup>16)</sup>, idque semper fere, si in dativi singularis forma adhibetur<sup>17)</sup>, ut in Anaxilae fragmento; quae dativi forma praeterea, ita ut apud Euripidem adiectivo adiungatur, semper cum adiectivis biformibus, id est cum forma masculina coniungitur, ut in Anaxilae fragmento<sup>18)</sup>. tum legimus persaepe iuncturas Anaxilae

9) cf. LSJ 1449/II s.v.; fragmentum (adesp. 520 N: *ἔμβα, πορθμίδος ἔρμα*, lyr.) fortasse Euripideum?

10) Cycl. 362 (lyr.) *πορθμίδος σκάφος*, Hipp. 753 (lyr.) *ὃ λευκόπτερε Κρησία πορθμίς*, Hel. 1061 (iamb.) *δοῦναι κελεῦσσο πορθμίδ', ἦ καθήσομαι*, IT 354 ss (iamb.) *ἀλλ' οὔτε πνεῦμα Διόθεν ἦλθε πόποτε, / οὐ πορθμίς, ἦτις διὰ πέτρας Συμπληγάδας / 'Ελένην ἀπήγαγ' ἐνθάδ', ἦ μ' ἀπώλεσεν*.

11) cf. J. T. Allen-G. Italie, A Concordance to Euripides, Berkeley/Los Angeles/London 1954, 210/I s.v.

12) Aesch. Suppl. 134 (lyr.), Ag. 695 (lyr.).

13) Soph. Ai. 357 (lyr.) *ἄλιον ... ἐλίσσων πλάτων*, OC 716 (lyr.) *ἀλλα ... πλάτα*; Phil. 220 (iamb.) *ναυτίλω πλάτη*, 355 (iamb.) *οὐρίω πλάτη* (utrumque in fine trimetri); cf. etiam fr. 430 Pearson: *ναύκληρον πλάτην*.

14) cf. Allen-Italie l. l. 528/II-529/I; adde Ar. Thesm. 770 ss.

15) ex septemdecim locis duodecies (cf. Allen-Italie l. l.).

16) ex quattuordecim locis duodecies; respicias etiam Ar. Thesm. 770 ss, ubi vox *πλάτη*, cum quater obviam sit, ter (770, 771, 773) in fine trimetri invenitur.

17) IT 1445, Or. 54, Rhés. 53, Tro. 877, fr. 846, 2, Hel. 234, 1117, Heraclid. 82; repugnat solum IT 242 *πλάτη φνυρόντες* (initio versus).

18) quare *εϊλατίνω πλάτη*, quod W. Kastner, Die griechischen Adjektive zweier Endungen auf -ΟΣ, Heidelberg 1967, 105 non notavit, lectio difficilior et melior est; cf. Rhés. 53 *νυκτέρω πλάτη* (Kastner l. l. 100), Tro. 877 *ναυπόρω* (LSJ 1162/I), fr. 846, 2 *ναυτίλω* (Kastner l. l. 106 A. 1),

fragmento simillimas<sup>19)</sup>, interdum etiam ubi sermo incidit in scopulos Symplegadam<sup>20)</sup>, qui re ipsa apte congruunt cum Scylla Anaxilae. accedit denique, ut nomen *πλάτη* in universa comoedia bis tantummodo ponatur ab Aristophane, altero loco (Thesm. 770 ss) excerptum ex Euripidis Palamede fabula<sup>21)</sup>, altero (Ran. 1206 ss) tragici ipsius in ore: nam in certamine Aeschyli atque Euripidis, quod in extrema Ranarum fabulae parte inest, initio longae prologorum seriei poeta hos versus suos proprios<sup>22)</sup> pronuntiat (fr. 846 N):

*Αἴγυπτος, ὡς ὁ πλεῖστος ἔσπαρται λόγος,  
ξὺν παισὶ πεντήκοντα ναυτίλω πλάτη  
Ἄργος κατασχών –*

Quae cum ita sint, apparet verborum *πορθμὶς ἐλάτινω πλάτη* colorem maxime Euripideum esse; quam ob rem, nisi suspicari mavis Euripidis nescioquem imitatore vel perfectissimum huius trimetri auctorem esse, non est causa, quin in Euripidis fragmentis numerandus sit. quae conclusio etiam emendationi formae *ἐξέπεσε*<sup>23)</sup> novam viam patefacit: nam nisi Casauboni *ἐξέπαισε* (sc. *τὸν τρίτον*) aut Porsoni *ἐξέπλευσε* (absolute) antetuleris, quae coniecturae profecto et metro et litteris traditis satis aptae sunt, ex Euripidis Helena (v. 1616) formam *ἐξέβησε* adferas maxime cum litteris traditis convenientem; hoc causativum rarum quidem apud Homerum et illic in appellendi significatione tantum adhibetur; sed fieri potest, ut etiam in significatione servandi (*ἐξέσωσε* sc. *τὸν τρίτον*) in usu fuerit<sup>24)</sup>. sed de hac re utrumvis iudices; quod ad verborum sententiam attinet, equidem mihi per-

Hel. 234, 1117 *βαρβάρω* (Kastner l. l. 106) et locum gravissimum Heraclid. 82 *άλλω* (Kastner l. l. 72, cf. Soph. Ai. 357), nam aliorum casuum formas femininas invenias Soph. OC 716 *άλλα .. πλάτα*, Eur. Andr. 108, 537, Tro. 826, Hipp. 228. qua de causa etiam quod ad adiectivum *ἐλάτινων* attinet, reliquorum casuum apud Euripidem formae femininae (cf. Allen-Italie l. l. 210/I) lectioni Anaxilae nequaquam repugnant.

19) cf. praeter Hyps. col. III, 1, 13 et Hel. 1461 supra laudatos: Hec. 39 *ἐναλίαν πλάτην*, Tro. 1095 *εἰναλίαισι πλάταις*, praeterea adiectiva similia in Andr. 865, Tro. 877, fr. 846, 2 etc.; cf. etiam IT 1445 *πορθμύεν πλάτη*.  
20) Andr. 864 s (lyr.) *σκάφος, ἃ διὰ Κνανέας ἐπέρασαν ἀκτᾶς / πρωτόπλοος πλάτα*, IT 241 s (iamb.) *ἤκουσον ἐς γῆν, κνανέαν Συμπληγάδα / πλάτη φρυγόντες, δίπτυχοι νεανίαι*.

21) de causis cf. scholia ad Thesm. 771 (ed. Dübner, Paris 1877, p. 269).

22) ex Archelai fabulae prologo, cf. scholia ad Ran. 1206 (l. l. p. 307; Nauck TGF<sup>2</sup>, Lipsiae 1889, p. 636; H. J. Mette, Lustrum 12, 1967, 77).

23) cf. CAF II 271.

24) cf. LSJ 501/I s.v. *ἐβαίνω* A 2-4; Eur. Cycl. 480 (~ *φεύγω*), Herc. 82.

suasi trimetrum, cum in hoc vis eius comica contineatur, notum fuisse audientibus ut tragicum et Euripideum; dubium est, an etiam eius in fabula contextus, quem sive de Scylla<sup>25)</sup> sive, ut aliis Euripidis locis<sup>26)</sup>, de Symplegadibus fuisse conicias, manifestus fuerit audientibus. sed si praeter auctorem etiam, qua ex fabula versus laudetur, perscrutari velis, ne me interrogos quaeso; non enim facio cum Terentiano illo sive Menandro (Heaut. 675 ~ Dysc. 861 s): *nil tam difficilest, quin quaerendo investigari possiet.*

Mogontiacy

Udo Reinhardt

---

 DER GOTT LYCHNOS

Das Asklepiades-Epigramm IX Gow-Page<sup>1)</sup> (= A.P. V 7) lautet so:

*Λύχνη, σὲ γὰρ παρεοῦσα τρεῖς ἄμοσεν Ἡράκλεια  
ἤξεν κούχῃ ἤκει· λύχνη, σὺ δ' εἰ θεὸς εἶ  
τὴν δολίην ἀπάμνον· ὅταν φίλον ἔνδον ἔχουσα  
παίξῃ, ἀποσβεσθεῖς μηκέτι φῶς πάρεχε.*

(1.) Aus der gewöhnlichen Bedeutung des *παρεοῦσα*, „als sie hier anwesend war“; aus dem *ἤξεν κούχῃ ἤκει*, „zu mir zu kommen, und doch ist sie nicht gekommen“; zuletzt, aus dem Zwillingsepigramm des Asklepiades X G.-P. (= A.P. V 150):

*Ἐμολόγησ' ἤξεν εἰς νύκτα μοι ἢ τρυβόητος  
Νικῶ καὶ σεμνήν ἄμοσε Θεσμοφόρον,  
κούχῃ ἤκει· φυλακὴ δὲ παροίγεται· ἄρ' ἐπιορκεῖν  
ἤθελε; τὸν λύχνον, παῖδες, ἀποσβέσατε*

scheint es wahrscheinlich zu sein, daß der betrogene Liebhaber-

---

25) nam forsitan etiam superiora verba *τρίκρανος Σκύλλα, ποντία κύων* (v. 4) ex alieno opere vel ex eadem fabula atque trimeter sumpta sint; cf. Eur. Herc. 1277 *Ἄιδον πυλωρὸν κύνα τρίκρανον* (cf. Soph. Trach. 1098), 611 *θῆρα ... τρίκρανον*, 419 s *τὰν τε μυριόκρανον ... κύνα Λέρινας ὕδραν*, 1274 *τὴν τ' ἀμφίκρανον καὶ παλιμβλαστήν κύνα ὕδραν*; de Scylla Med. 1343, 1358 s *καὶ λέαιναν .. καὶ Σκύλλαν*; de voce *πόντιος* cf. Allen-Italie I. I. 540/I-II.

26) IT 241 s, 354 ss, Andr. 864 s.

1) The Greek Anthology: Hellenistic Epigrams. 2 vols. Cambridge 1965.